

taceus, scriptus saeculo quinto decimo, collatus non satis accurate ab Askewio et a Schützio, accuratissime ab ipso Hermanno. Is codex in Prometheo, Septem adversus Thebas, Persis saepius a Mediceo discrepat: sed Oresteia et Supplices, quae fabulae ab alia quam tres illae priores manu exaratae sunt, quin ex ipso Mediceo libro in Guelferbytanum transscriptae sint non potest dubitari.

*Marc.* Codex bombycinus, saeculo quinto decimo scriptus, qui ex monasterio s. Marci Florentino, inter cuius codices numero 222. erat, in bibliothecam Laurentianam illatus est. In hunc quoque librum quattuor illas tragoedias ex Mediceo libro transscriptas esse summa similitudo, et quod eisdem Agamemnonis Choephororumque partibus caret, Niebuhrium docuit. Is ex initio Agamemnonis pauca excerpit, quae ab Hermanno prolata sunt.

Itaque quod Choephoros habemus, quae tragoedia in nullo praeter hos tres codice vetusto inventa est, conservato libro Mediceo deberi certum est: Agamemnonis, Eumenidum, Supplicum aliquot alii codices exstant; de quibus nunc dicendum est.

*P. sive Par. L.* Codex bibliothecae Parisiensis 2886. chartaceus, Iani Lascaris manu scriptus. Continet praeter Sophoclis quasdam fabulas Prometheum, Septem adversus Thebas, Persas, Eumenides, Supplices. Collatio eius libri in Needhami usum facta (quo tempore codex erat bibliothecae regiae 3521.) pervenit ad Askewium, unde a Butlero aliisque *Askewianus D.* appellatur: idem autem esse videtur qui in Berolinensibus Spanhemii schedis *Regius* vocatur. Qui hunc librum Parisinum iterum, sed non ea qua par erat diligentia excussit Godofredus Faehsius, falsus est quum quae in Sylloge lectionum anno MDCCCXIII. edita p. 158. et 164. ex Eumenidibus et Supplicibus attulit, ea tribuit codici Parisino 2782. Nonnulla inde excerpit Immanuel Bekkerus; in Eumenidibus de aliquot versuum scriptura Gulielmum Linwoodium certiore fecit Carolus Benedictus Hasius. Admodum similis est hic liber codici Mediceo. Vnde Hermanno ductus esse videbatur ex amisso illo vetusto libro ex quo Mediceus descriptus esset. Nescio tamen an probabilius suspicemur ab ipso Mediceo codice originem eius repetendam esse; a quo codice non videtur ita discrepare ut dissimilitudo non possit orta esse ex describentis